



Handwritten text, possibly a signature or date, written in cursive script.

RECTOR  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**GEORGIUS**  
**MATHIAS**  
**BOSE**

PHYSICES PROFESSOR PVBLICVS  
 ORDINARIVS  
 IN COMMERCIO LITERARIO CVM ACA  
 DEMIA SCIENTIARVM REGIA PARISINA  
 ACADEMICVS BONONIENSIS  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
 S P D



RECTOR  
ACADEMIAE VITENBERGENSIS  
GEORGIVS  
MATTHIAS  
BOSE  
PHYSICES PROFESSOR PUBLICVS  
ORDINARIVS  
IN COMMERCIO LITTEARIO CVM ACA  
DEMIA SCIENTIARVM REGIA PARISIENSIS  
ACADEMICVS BONONIENSIS  
CIVIS ACADEMICVS  
S P D



**C**larum elegantis Medici exemplum temporibus nostris praebuit Christianus Godofredus Stentzelius, aemulatusque ueteres, quibus ars medendi literis ad pristinam dignitatem reuocanda sit, recto praeclaroque studio declarauit. Videtur, pro illa scientia, qua Medicorum illustrium merita tenebat, in oculis memoriaque sibi defixisse Nicolaum Leonicum, Vicentinum, quo de uiro non praedicandum, nisi honorifice, existimabatur, propterea, quod primus aequalium philosophiam, ipsamque medicinam, cum politiore humanitate copulauit. Haec Iosephus Scaliger

Pari modo Stentzelius, ab initio aetatis in doctrinae studiis uersatus, semper cum Graecis Latina coniunxit, eaque perpetua exercitatione tantum profecit, ut par esset in utriusque orationis facultate. Sed, Graecis tamen aliquanto plus temporis tribuendum, ratus, quod ab horum fontibus ipsa medicina in Latium profluxisset, linguam Graecam tanta cupiditate arripuit, tanta assiduitate excoluit, ut, e schola Torgauensi, ubi Fecnoni et Steinbrechero operam dederat, profectus ad nos, insignem eius cognitionem afferret. Huc ergo ut uenit, breui Graece, in circulis doctorum hominum, et pluries, docendi munus iam adeptus, disputauit, et, quoniam haec res insoliti quid habebat, magnam sui admirationem commouit

Quo facilius ei fuit, philosophiam, ex Graecis fontibus hauſtam, combibere, reiectis fordibus, quibus imperitia ſophiſtarum multas ſcientiae partes foedauerat, et noua cum antiquis conferre, his etiam reddere, quae aliena uis ambitioque bonis nominibus interuertiffet. Multa enim ſunt, quae pro recens inuentis uenditantur ab eis, qui uetuftatis ignari ſunt, ut intelligentiores paſſim monent. Itaque Stentzelius magnum ueteris diſciplinæ uſum in philoſophia, Phyſicis maxime, habebat, nec tamen repudiabat, quae memoriae recentis inueſtigatio adieciſſet

Idem ille, Graece doctus, quanta iam ſpatia in artis ſalutaris curriculo fecit, ubi rudes haerent in carceribus, neque res traditas ſatis intelligerent, neque ipſas ſaepe uoces, quarum ignoratione, aut noſtione minus diſtincta, nihil non obſcuratur. At ipſe, familiariter cum coryphaeis artis ſuae uerſatus, horum linguam ſenſumque adeo calluit, ut, eorum conſiliis quoties egeret, haec in ipſis uelut eorum Muſeis acciperet, parata ſemper, ſed eis demum locis eruenda, qui cubarent in mendis, et multum dubitationis haberent, parumque lucis. Hoc enim cum perſpiceret, ſagacitatem mentis adhibebat, qua corrupta emendaret, ingenii lumen, quo obſcura illuſtraret, acrius iudicio, quid cuiuſque  
uel

uel sententiae, uel orationi, congrueret, ponderabat, ac perite iudicabat. Idem fecit Leonicensus in Hippocrate, idem in Dioscoride, idem in Galeno, multamque sibi auctoritatem peperit, erroribus imperitorum confutandis, qui, pristinae doctrinae expertes, inani loquacitate cuncta deprauarent. Hac mentē eis obiicit Romanum Medicum Antisophistam, eumque multo nitore expolit. Nec uero minore animo Stentzelius obtrectatoribus priscae scientiae occurrit, idque scriptis pluribus facit, quoties, et ubicunque, potest. Sed in eo dissentit a doctore Ferrariensi, quod hic in Plinio superiore Graecarum literarum desiderat intelligentiam, idcirco ab Scaligero posteriore notatus. Modestius enim, Stentzelius, de antiquis sentiendum, putat, quorum ingens studium fuerit in explicando, magna perspicientia in cognoscendo, acerrima industria in limando, ut nihil, quod magnorum sit auctorum, reliqui fecisse uideantur. Atque hoc illud est, quod, cum alii saepius animaduernerunt, tum nuper Ioannes Harduinus ad Plinium, multa in Plinio falsi ab indoctis argui, quorum alii ueritatem reperiant, meliora certioraque edocti

Magnam Leonicensus habuit medendi facultatem, sed ab insolentia gloriae uix afuit, cum, edito libello, professus est, cunctis aegrotis salutem ac ui-

tam restitui reconciliarique omnino posse. Tantum  
fibi Stentzelius non sumpsit, omnes medicinae suae  
uires in auxilio Dei ponere solitus. Quis est tamen,  
qui nesciat, quam feliciter, quam saepe, tum mor-  
bos alios, tum graues saepe numero atque ancipi-  
tes, sanauerit. Quis eruditior est paullo, qui, eius  
curatione usus, crebro non audierit ex eo uel Hip-  
pocraticum, uel Galenicum, uel aliud quiddam ue-  
teris alicuius medici, Celsi potissimum, Latini Hip-  
pocratis, quod haberet ille normae loco

Magnae, ut uideo, laudi ducitur Leoniceno,  
quod, animo plane Stoico res externas despiciens,  
pecunias, ut luxuriae instrumenta, contemnere so-  
let, ne cognita quidem monetae nota. Stentzelius  
autem, quanquam, omnem rem familiarem, quae  
quidem bene parata sit, dilabi, non finit, quoniam  
tamen ei nihil tam laetum est, quod literis laetius,  
nihil tam triste, quod non per has sit minus tri-  
ste, haud exiguam facultatum suarum partem col-  
locat in praefidiis uariae, ac lectissimae, doctrinae  
comparandis. Hinc illa Bibliotheca, magno libro-  
rum delectu, magna copia, ex uario genere, laute  
instructa, nec tenui sumptu undique conquisita,  
quae Polyhystorem potius, quam Medicum, osten-  
dere uideatur. Quidni Polyhystorem. Quasi uero  
tales in Medicis eruditis rari sint, quales, Galenus  
quon-



quondam, Hieronymus Fracaſtorius, Hieronymus Mercurialis, Scaliger pater, Io. Sambucus, Thomas Bartholinus, Olaus Vuormius, Caſpar Peucerus, Hermannus Conringius, Thomas Reineſius, tot alii, nuper Noribergae Godofredus Thomafius, repraefentarunt

Leoniceus a paruulo comitali morbo, uſque ad annum triceſimum, tam grauiſſe laborat, ut, ad ſe cum rediſſet, ſaepe taedio uitae, manum pae- ne ſibi inferret. Poſt triceſimum autem annum penitus malo tam inueterato defunctus, ſumma membrorum ſenſuumque omnium integritate, nulla ualeſtudine tentatus, uſque ad annum XCIV aetate procedit, triduo etiam, quam extingueretur, ſuo docendi munere, ut ante, functus. Secus euenit Stentzelio. Adoleſcentiae enim tantum robur habet, ut nulli ſtudiorum labori non ſufficiat. Sed, aetate prouecta, cum docendo, ſcribendo, diſputandoque, uires frangeret, in multos ſaepe ſubitoſque morbos implicatur, ad extremum in tam grauem, ut, eo conſumptus, proxime, XII Calendas Iulias, decedat. Sic annum aetatis quinquageſimum nondum excedit, A. c. Io. Io. CXCVIII Torgauiae, VI Calendas Nouembres, natus. Eius obitum merito deplorat, non modo Familia illius Ampliſſima, cuius laudes eiſdem iam Tabulis copioſe praedicauimus, quibus Reichiam, Matrem Aui-  
amque,

amque, honestauimus, sed etiam Academia nostra, quam ille ingenio, doctrinis, scriptis, multisque modis aliis, ornauit

Cum Vitembergam studiis suis delegisset sedem, Ciuitati nostrae, Rectore Gribnero A. cIo Io CCXVII, IV Calendas Octobres, ascriptus est, A. cIo Io CCXXI, sexto Nonas Martias, Medicinae Doctor creatus, cum, eodem anno, XVI Calendas Nouembres, Lauream Philosophicam suscepisset, A. cIo Io CCXXXIII, III Nonas Sextiles, Pathologiae professioni praefectus, secundum denique gradum Ordinis sui consecutus A. cIo Io CCXLVI, Nonis Quinctilibus. Academicum clauum tenuit, eumque magistratum spectata cum prudentia, pari auctoritate, gessit. Cunctis muneribus, quae sustinuit, tanta cum nominis dignitate praefuit, uti, nobiscum praeclare, putemus, actum iri, si quidem successorem, eius quam simillimum, nanciscamur. Optamus, ut Nobilissimae Genti Stentzeliae Deus multum consolationis impertiat, excitata maxime Filiorum duum ornatissimorum, Io. Christiani Godofredi, et Traugott Balthafaris Christiani, uirtute, ad famam Paterni nominis, per studia Iuris ac Medicinae, amplificandam. P. P. A. recuperatae Salutis cIo Io CCXLVIII, V Calendas Quinctiles

---

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

AB 180007


ULB Halle 3  
002 378 078



5b.

VD 77





RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

GEORGIUS

THIAS

OSE

PROFESSOR PUBLICVS  
ORDINARIVS

IN LITTE-  
RARIO CVM ACA-  
DEMIARVM REGIA PARISINA  
MICVS BONONIENSIS

ACADEMICIS

S. P. D.

